

U.

S. UBALDUS EP. C.

1) Officium.

Eugubina.

Cum serenissimus Urbini dux et universa Canonicorum regularium Lateranensium Congregatio Sanctissimo D. N. Paulo Papae V., ob insignia miracula et celebrem in universo orbe sanctitatem beati Ubaldi Episcopi Eugubini, olim a Coelestino Papa tertio in Sanctorum numerum relati et ob speciales gratias a Deo meritis et intercessione sua susceptas supplicaverint ut festum dicti s. Ubaldi, quod celebratur die 16. Maii ponatur in Calendario romano et de eo in universo orbe a clericis saecularibus et regularibus, qui officium divinum recitare tenentur, fiat commemoratio tamquam de festo simplici, prout antiquitus fieri solebat, et idem Sanctissimus Dominus Noster negotium hoc ad Sacram Rituum Congregationem remisit: eadem Sacra Congregatio censuit gratiam petitam posse concedi si Sanctitati Suae placuerit; et ita declaravit die 24. Septembris 1605.

Placuit autem Sanctitati Suae, ut ex literis in forma brevis desuper expeditis sub annulo piscatoris die 26. Octobris 1605 constat, quarum quidem literarum tenor est ut sequitur, videlicet:

Paulus Papa V.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ex injuncto nobis apostolici muneris debito ad ea libenter intendimus, per quae Sanctorum veneratio et Christianorum devotio augetur, cum praesertim pia virorum principum vota id exposcunt ac alias in Domino conspicimus salubriter expedire. Piis igitur ac devotis supplicationibus dilecti filii nobilis viri Francisci Mariae Urbini

ducis et dilectorum filiorum abbatis generalis et universae congregationis canonicorum regularium lateranensium ordinis s. Augustini nobis humiliter porrectis inclinati ac ex voto venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium super sacris Ritibus et caeremoniis deputatorum, ut Christianifidelium veneratio erga sanctum Ubaldu olim Episcopum Eugubinum magis augeatur, quem ob insignia miracula, quae illius intercessione, ut pie creditur, omnipotens Deus operari dignatus est et in dies operari dignatur, maxime in liberandis obsessis, et ob celebrem in universo orbe illius vitae sanctitatem, fe. re. Coelestinus Papa III. praedecessor noster in Sanctorum numero retulit et erga quem dictus Franciscus Maria Dux ob speciales gratias a Deo ipsius sancti Ubaldi meritis et intercessione, ut similiter pie creditur, susceptas et eadem canonicorum regularium congregatio, cujus ordinis institutum et vivendi rationem ipse sanctus Ubaldu in canonica Portuensi apud Ravennam suscepit, singularem gerunt affectum, harum serie perpetuo statuimus et ordinamus, ut ipsius sancti Ubaldi pontificis et confessoris dies festus in Calendario romano ad diem decimum sextum mensis Maii adscribatur et de eodem sancto Ubaldo Pontifice et confessore in universo orbe a clericis saecularibus et regularibus quibuscumque, qui divinum officium recitare tenentur, eo die commemoratio tamquam de festo simplici fieri debeat. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud s. Marcum sub annulo piscatoris die 26. Oct. 1605. Pontificatus Nostri anno primo. M. Vestrius Barbianus.

(Anal. J. P. 1863 p. 45 n. 165; Bull. r. t. III. p. 207 Ed. Luxbg.)

Eugubina.

Lectiones duas de vita s. Ubaldi Episcopi Eugubini eum oratione de communi unius Episcopi confessoris, cujus diem festum sub die 16. Maii in Calendario romano ex sententia S. Congregationis Rituum SS. D. N. Paulus Papa V. ponendum esse ordinavit et statuit, ut de eo, tanquam de pontifice et confessore in toto orbe a clericis saecularibus et regularibus, qui divinum officium recitare tenentur, commemoratio simplex fiat, ut latius ex literis ejusdem SS. D. N. sub annulo piscatoris expeditis constat, ab Illmo et Rmo D. Cardinali Baronio, de ordine ejusdem Sacrae Congregationis visas, lectas, correctas et subscriptas eadem Sacra Rituum Congregatio approbavit et ut in breviario inserantur et imprimantur et a singulis clericis saecularibus et a regularibus, qui officium divinum recitare tenentur, recitentur in ejus festo die praedicta 16. Maii, decrevit et ordinavit. Die 17. Decembris 1605.

(Ibid. p. 50. n. 181.)

Vd.: *Calendarium Congreg. SS. Redempt.* (decr. n. 4842.)

Coelestinus PP. III.

Canonizantes s. Ubaldu (Episcopum Eugubinum) decrevimus, ut festum transitus ipsius sicut beatissimi Confessoris perpetuo habeatur et festum ejus XVII. Cal. Jun. (16. Maii) annis singulis celebretur. Datum Laterani 4. Martii 1192.

Urbis et Orbis.

Clemens PP. XI.

Exponens Episcopus Eugubinus diem natalem s. Ubaldi ep. plerumque infra octavam Asc. D. ac Pent. occurrere et

propterea ejusdem officium sub die 18. Februarii 1696 sub ritu sem. ad lib. pro Ecclesia univ. concessum nunquam vel raro posse recitari S. R. C. supplicavit, quatenus de praeccepto sub ritu semid. in posterum recitandum praescribere dignaretur. S. C. duxit: posse recitari, si SS. D. N. visum fuit. Et SS. benigne annuit. Die 10. Decembris 1701.

(Bull. r. t. VIII. p. 431.)

2) Oratio.

S. C. resp. PP. *Benedictinis Einsidl.*: In festo s. Ubaldi 16. Maii dicenda est oratio: *Auxilium tuum Domine etc.* n. 4044 ad titul. de *Oration.* die 5. Maii 1736.

S. UDALRICUS.

In festo s. Udalrici erit missa: *Stavit et Oratio: Da quaesumus.* Num. 4044 (2do) ad 12 die 13. Julii 1736.

De ejus Canonisatione vd.: *Constitution. Joan. PP. XV. die 3. Februarii* 993 in Bull. rom. tom. I. p. 23.

ULTIMUM EVANGELIUM.

1) *Dominicae vel Ferae.*

Vd.: *Evangel. ultimum.*

Cantabitur missa (vot.) de Spir. s. (in die inchoationis Concilii) per Archiep.; et si festum erit dupl. aut dominica, sine commemor. illorum et sine evangelio dominicae in fine.

Caer. Ep. l. I. c. XXXI. n. 13.

2) *Joannis.*

Neque in rubricis generalibus neque in ritu celebrandi missam neque in ordine missae, dum statuitur, ut in fine missae legatur evangelium sancti Joannis: *In principio erat verbum etc.*, ulla indicatio occurrit, qua scire possit sacerdos, in qua parte missalis evan-

gelium illud reperiatur et istiusmodi silentium commune est quibuscumque Missalis Romani editionibus, non exclusis archetypis Clementis VIII. et Urbani VIII. Quum autem peropportunum videri possit id aliquo modo in Ordine Missae indicari seu remittendo sacerdotem per simplicem citationem folii ad tertiam Missam Nativitatis Domini, ubi praedictum evangelium habetur, sive evangelium ipsum apponendo per extensum in fine Ordinis Missae, prout fieri solet in Canone Missae pontificalis; quaeritur: an et quomodo allegatio praedicti evangelii apponi possit in Missalibus proxime edendis?

S. C. R. resp.: Nihil innovetur.
Die 25. Sept. 1860.

UMBELLA.

1) Episcopi.

Vd.: *Episcopus assist. processioni; Episcopus Visitator; Praeses* (cap. IV.)

Nemini licere in processione sol. SS. Corp. Chr. uti umbraculo sive umbella. n. 3334 ad 1 die Julii 1604. Episcopus suffrag. Veliternens. non potest per civitatem sibi deferri facere et elevare umbellam sericam viridis coloris. n. 3490 ad 7 die 6. Sept. 1698.

2) Gubernatoris.

Non licet Rectori seu Gubernatori laico civitatis Carpenctoraten. uti umbella in functionibus ecclesiasticis et processionibus praesente Episcopo. n. 3539 die 21. Novb. 1699.

3) SS. Reliquiarum.

Vd.: *Baldachinum.*

4) SS. Sacramenti.

Vd.: *Instructio Clem. §. XIX. n. 17. §. V. n. 1. 13. Baldachinum.*

Ad dub.: An Processio cum SSmo

omnino vel saltem intra Ecclesiam haberi possit, quin Baldachinus hastatus super Venerabili extenatur: et si negetur, quomodo ecclesiis pauperibus tali baldachino destitutis providendum sit et quid faciendum, si ob Ecclesiae angustiam et fidelium multitudinem baldachinus in processione intra ecclesiam faciendi circumferri nequit?

S. C. resp.: Ubi baldachinus hastatus deest vel ob ecclesiae angustiam gestari nequit, adhibendam parvam umbellam.

Die 7. Maii 1857 dub. XI. 2. *Limburg.*

UNCTIO.

1) In Baptismo.

Vd.: *Baptismus* (oleum; in necessit.); *Bapt. Adulti.*

Parochus in casu necessitatis periclitantem puerum stola violacea indutus domi baptizavit eique s. chrisma et oleum, quod secum detulit, imposuit prout in Rit rom. Quaeritur: an bene vel male se gesserit in casu unctionis extra ecclesiam? S. C. resp.: Juxta votum, nimirum: parochum male se gessisse baptizando cum stola violacea et liniendo puerum periclitantem extra ecclesiam oleo etiam Catechumenorum. In casu enim necessitatis juxta Ritualis praescriptum omnia sunt omitenda, quae baptismum praecedunt, quaeque post morbum supplenda sunt in Ecclesia, ad quam praestandus est puer, cum convalescit. Die 23. Sept. 1820.

2) In Baptismo Italo — Graecorum.

Vd.: *Rit. graec.* (Constit. Bened. XIV. *Etsi pastor. §. II.; Quo primum §. 36.*)

3) In Confirmatione.

Vd.: *Ritus graec.* (Constit. Bened. XIV. *Etsi pastor. §. 3.*)

4) Episcopi consecrandi.

Dum consecratur Episcopus inungitur chrismate in capite et manibus, quod si fuerit omissum, per tres Episcopos est supplendum, textu expresso in cap.: *Cum venisset* 1. de sacra unctione, ibi: „Cum venisset ad Apostolicam Sedem Bravarensis Episcopus, qui in consecratione sua sacram non acceperat unctionem, quoniam apud vos (Graecos) non consueverint Pontifices, cum consecrantur, inungi, Nos, quod illi defuerat, mandavimus in ipso suppleri, facientes caput ejus et manus per Alban. Episcopum (assistentibus ei duobus Episcopis secundum morem ecclesiasticum) sacro Chrismate deliniri.“

Ungitur autem Episcopus in capite, ut declaretur eum esse caput et principem Ecclesiae suae; cap.: *Cum venisset* 1. de sacra unctione, *Barbosa* de Offic. et potest. Episcop. part. 1. tit. 1. c. 5. n. 10 Reges vero non in capite sed in humero unguuntur, primo, ut proprius honor sit illius, quem Deus constituit excessum super omnes Reges terrae, et quem oleo laetitiae excellentius et augustius unxit praeconcordibus suis. Deinde, ut ostendatur quod primo ante omnes Reges et Principes persona capitis pontificali officio repraesentetur. Ungitur tamen et Rex in humero, ut neque ipse plane excludatur a repraesentatione ejusdem capitis, nam et hujus Principatus, ut dicitur Isa. 9., factus fuit super humerum ejus, et ut sciat se esse ministrum ad portandam Crucem Jesu Christi ad laudem bonorum, vindictam autem malorum, *Apost. ad Roman.* 13. Sic ad literam *Barbosa* loc. cit. num. 11. ex cap.: *Cum venisset* 1. de sacra unctione §. 2. *Ungitur Episcopus in manibus*: ut sciat dignitatem non propter otium sed propter negotium suscipere, et ut os-

Decreta authentica. Tom. III. Pars II.

tendatur accipere potestatem benedicendi et consecrandi; cap.: *Cum venisset* 1. de sacra unctione, *Barbosa* loc. cit. num. 12.

5) Extrema.

Vd.: *Extrema unctio.*

a) Administrator.

Vd.: *SS. Viaticum* (portand. Canonicis et Sacerdot., praecip. decr.: *Mediolan.*)

Non est necesse, quod extrema unctio conferatur a pluribus Sacerdotibus; cap.: *Quaesivit* 14. de verb. signific. ibi: *Sacerdos uno praesente Clerico et etiam solus potest infirmum ungere. Est communis.* Immo extra necessitatem non est licitum, quod unctiones fiant a pluribus saltem apud nos Latinos. *Communis.* Ecclesiae enim consuetudo et praxis declarat, ut unus minister omnes unctiones adeoque totum Sacramentum perficiat excepto casu necessitatis, ut si infirmus videatur moriturus, antequam unus solus minister omnes unctiones perficere possit, tunc plures ministri possunt ipsas unctiones perficere, ita ut unus unum sensum ungit proferendo formam ei correspondentem, et alter alterum ungat sensum prolata itidem forma ei correspondente, et sic de communi testatur Suarez disp. 43. sect. 2. num. 8. Et fortasse s. Jacobus idcirco *Presbyteros* nominavit, ut significaret plures ad hujus Sacramenti ministrationem concurrere posse; *Layman* lib. 5. tract. 8. cap. 6. in fine. Sic etiam si, dum Sacerdos ungit, corripiatur repentino morbo et moriatur, alius Sacerdos potest et debet perficere unctiones tamen a primo factas non iterando: act. eccles. *Mediolanen.* tom. 1. part. 4. de Sacramento Extremae unctionis vers.: *Si Aeger. Et communis.* Nunquam potest nec licite nec valide conferri hoc Sa-

cramentum a pluribus simul, ita ut unus sacerdos ungat et alter formam proferat. Ita de communi testatur *Nugnus* in addit. ad tertiam partem 9. 41. art. 3.

Per unum vel plures Presbyteros graecos administrari potest extrema unctio, ubi viget talis consuetudo; dummodo cedant et asserant illud Sacramentum, servata debita materia et forma ab uno Presbytero valide et licite confici, et dummodo idem, qui ungit, formam proferat Sacramenti nec alius ungat et alius formam pronunciat. *Benedictus XIV.* tom. 1. Const. 57. incip.: *Etsi Pastoralis* §. 6.

Sacramenti hujus ministros esse Sacerdotes nemo, qui fidem Christi profitetur, negaverit; ita definiente Tridentino sess. 14. cap. 4. Quamquam vero conferri a pluribus simul Sacerdotibus valeat, modo tamen singulum diversum sensum cum forma eidem debita inungant: usus tamen jam inde a pluribus saeculis in latinam Ecclesiam invecus extra articulum necessitatis fert, ut unus tantummodo sacro oleo liniat totumque perficiat Sacramentum, cui mori citra lethalem culpam se non conformare nemo potest. *Ibid.* cap. 19. §. 5. Laudabile tamen fuerit, si dum res sacra peragitur, plures adsistant Sacerdotes vel saltem probi viri, ut oratio totius Ecclesiae ad effectum hujus Sacramenti coadjuvet, quam verba sunt *S. Th.* c. 43. l. 4. contra Gentes; *ib.* §. 5.

Ministrare istud Sacramentum valide omnes Sacerdotes possunt; uni tamen Parocho de jure competit, cum sit ejus minister ordinarius. Alii si id audeant absque Parochi facultate contra statutum in *Cathechismo Romano*, peccant. Quinimmo Religiosi aegrotum ungentes, minime a Parocho petita venia, praeter gravis culpae reatum in excommunicationem incidunt Apo-

stolcae Sedi reservatam in *Clement. 1. de Privileg.* excluso tamen necessitatis articulo, in quo actum charitatis non auctoritatis abusus exercent. Haec dicta sunt de latinis Sacerdotibus, cum de Graecis alia sit ratio; nam apud illos mos est, nec a Romanis Pontificibus improbatum, ut in hoc Sacramento conferendo septem Sacerdotes vel saltem tres praesto sint, *ibid.* §. 8.

Minister validus hujus Sacramenti est solus et omnis Sacerdos. Quod sit solus Sacerdos, habetur ex *Epist. D. Jacobi cap. 5.*, ubi legitur, introducendos esse ad infirmum non Laicos, non quoslibet, sicut in Baptismo, sed Presbyteros, *ibi*: „Introducat Presbyteros et orent super eum; et habetur ex *Concil. Florentin.* in Decreto Armenorum, *ibi*: „Minister hujus Sacramenti nempe extremae unctionis est Sacerdos;“ et ex *Concil. Trident.* sess. 14. c. 3 de Extrema Unctione, ubi expresse dicitur: „Proprios hujus Sacramenti ministros esse Ecclesiae Presbyteros; quo nomine eo loco non aetate seniores aut primores in populo intelligendi veniunt, sed aut Episcopi aut Sacerdotes; et *ibidem Canon. 4.* anathematizat contrarium sentientes: „Si quis dixerit, Presbyteros Ecclesiae, quos beatus Jacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse Sacerdotes ab Episcopo ordinatos sed aetate seniores in quavis communitate, ob idque proprium extremae Unctionis Ministerium non esse solum Sacerdotem, anathema sit.“ Quod omnis Sacerdos possit valide hoc Sacramentum conferre, videtur evinci ex *textu B. Jacobi cap. 5.*, *ibi*: Inducat Presbyteros, ubi infinite ponuntur Sacerdotes sine ulla prorsus exceptione, cum potestas illa competat Sacerdoti non ratione jurisdictionis, sed ratione ordinis, ut confirmat communis Ecclesiae sensus,

et per hoc Apostolus dicit: non Episcopum, non Parochum sed Presbyteros Ecclesiae, et ostendat potestatem illam cuilibet Sacerdoti competere. Unde validum est hoc Sacramentum etiamsi conferatur a Sacerdote excommunicato, irregulari, degradato, etiam contradicente Parocho, quia sicut retinet potestatem ordinis ita et potestatem hujus Sacramenii valide ministrandi. Est communis teste *Rosignol.* de extrema Unctione q. 1. art. 2. n. 1. et 2.

Minister autem licitus hujus Sacramenti est solus Parochus aut alius Sacerdos de ejus vel Episcopi licentia. Est communis ac certa.

Unde nec Regulares possunt licite sine licentia Parochi vel Episcopi aut privilegio Summi Pontificis hoc ministrare, immo illud ministrando incurrunt excommunicationem Papae reservatam; Clement. 1. de privileg. In casu tamen necessitatis, quo non extante Parocho infirmus jam ageret animam, tunc Regulares sine incursu illius censurae, immo et licite, sicuti et quicumque Sacerdotes saeculares, possunt extremam Unctionem ministrare ex praesumpto consensu Episcopi vel Summi Pontificis. *Valentia* tom. 4. disp. 8. g. q. 1. punct. 2., *Reginald.* lib. 18. n. 408. et lib. 28. num. 61., *Suarez* tom. 4. disp. 44. sect. 2. q. 3., *Navarr.* c. 17. nu. 101.; *Henriquez* in *Summa* lib. 3. cap. 33. n. 4.; *Ghetius* in *Thesouro animae* tom. 4. verb.: Unctio extrema n. 5. explicat. lit. *S. Thomae.*, *Rosignol.* de extrema Unctione q. 2. art. 2. nu. 10 et alii passim. Extra casum necessitatis nequeunt Regulares sine licentia Episcopi vel Parochi administrare extremam Unctionem nec etiam Advenis, qui in eorum Conventibus infirmantur, *Sac. Cong. Concil.* in *Monopolitana* 27. Sept. 1670, ubi expresse censuit: „non licere Fratibus

absque licentia Episcopi vel Parochi administrare Sacramenta Advenis, qui in eorum Conventibus infirmantur, et si decedant, non posse sepeliri in eorum Ecclesiis, l. 26. Decr. fol. 444. Possunt autem Regulares sine ulla licentia ministrare extremam Unctionem famulis, domesticis et continuis commensalibus intra eorum Monasteriorum septa residentibus.

b) Graecorum.

Vd.: *Ritus Graec.* (Constit. *Bened. XIV. Etsi pastoral.* §. V.; constit. *Quo primum* §. 37 etc.)

c) Forma.

Unctionis extremae forma in *Ritu* ali *Rom.* expressa est deprecativa, nunquam tamen definitum est ab Ecclesia: an hac ita necessaria sit, ut non aequae ad Sacramenti validitatem sufficiat, si indicativo modo concipiatur; satis enim constat formam illam expressis verbis nequaquam institutam fuisse. Constat tamen, aliter quam in *Ritu*ali exhibeatur, proferri absque gravi flagitio privata auctoritate non posse.

Bened. XIV. Synod. dioeces. c. 18.

d) Habitus.

Vd.: *Visit. Olei infirm.*

e) Modus.

Vd.: *Ext. unct.* (admin.)

Ad dubium I.: Utrum in *ŷŷ.* et *R.R.*, qui in administratione extremae Unctionis post Unctiones factas dicuntur et in tribus orationibus, quae sequuntur, facienda sit variatio generis, quando recitantur pro muliere dicendo *ŷ*: Salvam fac ancillam tuam, et similiter de aliis, sicuti variatio generis indicatur a *Ritu*ali in *ritu* *Benedictionis Apostolicae* in articulo mortis et a *Pontificali* in *Confirmatione unius?*

II. Similiter quaeritur: an in Litanis brevibus in Ordine commendationis animae, quando preces recitantur pro muliere, variandum sit genus, sicut placet Cavalieri tom. 3. c. XIX. dec. 2. n. XV, et etiam numerus quum recitantur pro pluribus; et an in orationibus et precibus ejusdem commendationis similiter fieri debeat variatio, ubi sensus eam exposcit?

S. C. resp. ad I.: Affirmative;

Ad II.: Affirmative.

Die 12. Aug. 1854.

(Anal. J. P. 1857 p. 2199.)

Ad dub.: An dum ministratur Sacramentum extremae Unctionis possint Moniales dicere tantum primum ex septem psalmis poenitentialibus dum sacerdos unctiones peragit?

S. C. resp.: Posse urgente praesertim necessitate.

Die 7. Sept. 1850.

Correspond. de Rome 24. Sept. 1851 n. 64. p. 264.

f) Partes ungentae.

Vd.: *Extrema unctio* (unctio pedum etc.)

Partes ungentae aliae quidem necessariae sunt, ut Sacramentum fiat, aliae necessitate, uti vocant, praecepti: aliae vero ratione aliqua suadente tuto omittuntur. Ex his postremis sunt pedum et renum unctio, hae enim in foeminis omittitur; illa vero ex gravi incommodo praeteriri potest. Caeterae quinque sensuum unctiones saltem ex praecepto adhibendae sunt; enim vero singulae ita sint necessariae, ut absque illis Sacramentum non consistat, alii aliter disputant. Si necessitas urgeat, aegri, qui mox decedurus timetur, unicus sensus ungentus est, ea pronunciata forma, quam Ri-

tuale in his rerum eventibus assignat, caput tamen praefendum.

Bened. XIV. Synod. Dioec. c. 18. Vd. Rituale rom.

g) Quibus administranda?

Vd.: *Parochus* (administ. Sacram.)

Parochus peccat mortaliter, si infirmo petenti hoc Sacramentum negligat, aut sine justa causa differat illi conferre cum probabili periculo, ne sine ipso Sacramento moriatur infirmus; in re enim gravi non praestat id, ad quod tenetur ex justitia. *Communis*. Immo Parochus tenetur sub mortali ministrare sive per se sive per alium extremam unctionem infirmo peste infecto etiam cum periculo contagii, si ipse infirmus non possit aliud Sacramentum recipere: tunc enim est extrema necessitas Parochiani forte constituti in mortali, quo per Sacramentum liberari potest, vel si in mortali non sit, poterit accipere vires ad resistendum daemone et feliciter emigrandum. *Sic communiter Doctores cum Carden. in 1., Crisi disput. 77. cap. 3. num. 23.* Quinimmo Parochus tenetur etiam cum periculo contagii ministrare sive per se sive per alium hoc Sacramentum moribundo peste infecto, etiam si receperit Sacramentum poenitentiae sed non Eucharistiae, quia licet in tali casu non esset in extrema necessitate, esset tamen in gravi, in qua etiam tenetur subdito subvenire Parochus. Potuit enim Poenitentia ex parte dispositionis Poenitentis fuisse defectuosa, quae per hoc Sacramentum per accidens supplebitur in ordine ad causandam primam gratiam; sic, ut certa traditur a *Card. loco cit. n. 24. et La Croix lib. 6. part. 2. n. 2112.*

Unguntur fideles tali morbo laborantes, unde peritorum iudicio mors

proxime secutura prudenter timeatur; quare denegandum est eis, quibus certum non adest vitae periculum, puta mare transgressuris, praelium inituris, ultimo supplicio afficiendis cum hoc illis desit, quod morbo periculoso laborent. Hoc vero morbi gravis periculum ita necessarium est, ut sanis collatum Sacramentum vel nullum sit vel illicitum. Neque urget Graecorum consuetudo ungenti bene valentes; nam si id agant rati se conferre verum Sacramentum, increpandi acriter sunt et prohibendi, sicut tunc etiam cum, ut apud illos interdum sit, loco satisfactionis per Confessarios imponendae poenitenti inungunt. *Bened. XIV. de Synodo Dioec. cap. 12. per tot.*

Providendum est tamen a parochis, ne in hoc Sacramentum administrando supremum vitae articulum expectet, sed maturius id agat, cum aeger nondum sensibus destitutus precibus Sacerdotis suas etiam adjungere valet. Providendum illi est etiam, ne hoc Sacramentum, quamquam non est de praecepto, petentibus denegat; id enim si vel ille negaret vel non offeret, gravem culpam committeret.

Quin nec desunt plures, qui opinantur, aegrotum negantem recipere sacram Unctionem reum habere lethalis culpae, cum ex contemptu Sacramenti id renuere merito censi possit. *Ibid. c. 22.*

Pueris ante usum rationis ex perpetua Ecclesiae doctrina non datur, quamquam, ut id licite fiat, aetas illa firmior exspectanda non est, qua Sacramenti Poenitentiae capaces censentur. Pueris neganda est etiam perpetuo amentibus et furiosis, quibus constans fuit per totam vitam amentia. Constans, inquam, nam si adulti usum rationis aliquando obtinuerunt, tumque inciderunt in amentiam, cum aliquid

criminis committere potuerint, utique inungendi sunt. *Ibid. cap. 21.*

Sed quid, si subita vi morbi correpti in amentiam incidant, ut petere Sacramentum minime valuerint? Eos profecto hoc Sacramento juvari oportet, si praesertim sensibus destituti aliorum Sacramentorum remedio juvare se non possint. *Ibid. c. 21. per tot.*

Eodem morbo et periculo perseverante repetere Sacramentum istud non licet. Si vero morbi vis ita remiserit, ut recessisse periculum mortis videatur, iterumque recrudescat et novum mortis periculum urgeat, iterum unctio peragenda est, *ibidem*; in dubio tamen num morbi status sit mutatus seu num idem perseveret, expedit ut Sacramenti iterationem Parochus propendeat. *Ibid.*

An teneatur Parochus Sacramentum hoc administrare peste laborantibus? Ex doctrina Suarezii tunc tenetur, quatenus valet absque morali vitae periculo.

An valeat Sacramentum, si instrumento nempe penicillo inungatur corpus aegroti peste infecti, nihil deciditur; asseritur tamen ritum talem in Ecclesia hucusque fuisse inusitatum; *ibid. c. 19. §. 17. nov. edit.*

6) Regis.

Vd.: *Unctio Episcopi consecr.*

S. URSULA.

(Officium.)

Vd.: *Lectiones non approb.* (decr. n. 3019).

Conventus PP. Carmelitar. exalceator. Wilnen. in Lithuania refert: Cum de concessione Officii s. Ursulae et sociarum vv. non constet de sede apost. et tamen omnes Dioeceses de

illa babeant Officium dupl. 21. Octob., quaeritur: an licite possint omnes de illa habere Officium? S. R. C. resp.: Officia particularibus locis concessa, quamvis SSrum in martyrologio rom. expressorum, sede ap. inconsulta, non posse ab aliis recitari. Hinc, cum sermo sit de Officio s. Ursulae etc. approbato ac non semel concesso, ejus extensio expetenda est, ut Officium licite ac valide recitari possit in iis locis, in quibus s. Ursulae etc. festum cum Officio celebratur absque S. C. indulto. n. 4110 ad 5. die 22. Apr. 1741. Ubi habentur insignes reliquiae plurimum ss. VV. et MM. a societate s. Ursulae fieri debet Officium dupl. de ss. Ursula et Sociis cum sola commemor. s. Hilarionis, ut fit Romae in patriarchali Ecclesia s. Mariae M., ubi asservatur caput unius ex sociis s. Ursulae. Et ita pariter fieri debet absque ulla translatione in illis Ecclesiis, in quibus festum ss. Ursulae et Soc. aliunde esset dupl. vel semid. n. 4198 ad 5 die 11. Jan. 1749.

USUS.

1) Anuli, bugiae, mitrae Canonior.

Vd.: *Usus Pontifical.*; *Mitra.*

Concessio novorum indumentorum magis insignium pro dignitatibus, et canonicis ecclesiae metropolitanae Amalphitanae.

Leo PP. XII.

Ad futuram rei memoriam.

§. 1. Romanorum indulgentia pontificum peculiaria ornamenta aliquando illis tribuit, qui Deo laudes conspicuis in templis solvunt, ut externa decora adepti magis illi magisque conentur internis virtutibus enitere, utque ad sacra ministeria accurate implenda iis apostolicae beneficentiae calcar adatur.

§. 2. Hinc quum dilecti filii dignitates et canonici metropolitanae ecclesiae Amalphitanae divo apostolo Andreae sacrae suppliciter a Nobis petierint, ut mitrae et anuli decore eos omnes ditemus, quum jam duae primae ejusdem capituli dignitates mitram ex apostolica concessione, ut asseritur, in praesentiarum gestent, aliique cappa et rocchetto utantur; quumque venerabilis frater archiepiscopus Amalphitanus suo apud Nos scripto testetur, Amalphitanam civitatem antiquitatis splendore, civium virtute et doctrina ac praecipua in hanc sanctam Sedem fide et devotione merito celebrari praedictamque metropolitanam ecclesiam eleganti opere esse constructam, sacris suppellectilibus ac redditibus satis superque instructam ac insignibus sanctorum reliquiis ditatam; quinque vero dignitates, duodecim canonicos, octo hebdomadarios de numero appellatos totidemque supranumerarios aliosque haud exiguo numero presbyteros et clericos sacras in dicta ecclesia caeremonias decentissime obire, haud gravate inducimur, ut eorum precibus obsecundemus.

§. 3. Qua propter eosdem oratores peculiari beneficentia et honore prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris ac poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrerint, hujus tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes supplicationibus Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati dignitatibus et canonicis metropolitanae praedictae Amalphitanae tam praesentibus quam futuris facultatem gestandi mitram ex tela et anulum cum unica gemma in solemnioribus tantum anni functionibus, servata in reliquis forma et dispositione apo-

licarum constitutionum et decretorum congregationis sacrorum Rituum, auctoritate apostolica tenore praesentium tribuimus et impertimur.

Datum Romae apud sanctum Petrum die 3. Aprilis 1827.

(Bull. r. Contin. t. XVII. p. 51. Ed. Romae.)

Concessus usus mitrae albae pro dignitatibus et canonicis ecclesiae cathedralis Liparensis.

Pius PP. VII.

Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Romanorum pontificum praecessorum Nostrorum vestigia prementes ecclesiasticis viris, qui coelestis Sionis aemuli in templis magis conspicuis divinas laudes quotidie concinunt, peculiaria insignia deferenda interdum concedimus, ut ipsi per externas quoque decorationes excitati internarum virtutum splendore lucere conentur in domo domini.

§. 2. Cum itaque, sicut dilecti filii moderni quatuor dignitates et quatuordecim canonici cathedralis ecclesiae Liparensis Nobis nuper exponi fecerunt, ecclesia ipsa antiquitatis laude vetustissimorum praesulum sanctitate nunc ibi Altissimo famulantium sacerdotum probitate et doctrina ita floreat, ut una ex praestantioribus finitimarum regionum ecclesiis habeatur, multum splendoris ad eam accederet ac divinus cultus populique devotio majora ibi incrementa susciperet, si ejusdem cathedralis dignitates et canonici nova aliqua insigniori decoratione ornentur.

§. 3. Nos praemissis causis adducti eosdem dignitates et canonicos specialibus gratiis et favoribus prosequi

volentes supplicationibus eorum nomine Nobis humiliter porrectis inclinati modernis et pro tempore in perpetuum existentibus dignitatibus et canonicis praememoratae cathedralis Ecclesiae Liparensis, ut ipsi in civitate et dioecesi Liparensi in missis, vespers ac laudibus solemniter decantandis ac etiam in processionibus seu publicis supplicationibus, benedictionibus candelarum, cinerum, palmarum et fontis baptismalis ac reliquis ecclesiasticis functionibus, in quibus sacra indumenta adhiberi oporteat, mitra alba uti libere ac licite possint et valeant apostolica auctoritate tenore praesentium concedimus et indulgemus eisdemque in suis armis seu insigniis gentilitiis mitram apponi faciendi et addendi licentiam et facultatem perpetuo tribuimus et impertimur ipsosque super praemissis a quoquam perturbari aut impediri nullatenus posse; sicque et non aliter per quoscumque iudices ordinarios et delegatos etiam causarum palatii apostolici auditores ac sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales etiam de latere legatos et dictae sedis nuncios, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate et auctoritate, judicari et definiri debere ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem die 28. Julii 1818.

(Bull. r. Contin. t. XV. pag. 112. Ed. Romae.)

Confirmatio resolutionis captae a S. Congregatione Rituum super concessione anuli et palmaris pro Canonicis et Dignitatibus Ecclesiae cathedralis Lucanae.